

*Mennæ Patriarchæ Constantinopolitani ad Vigilium Paulam*, qui sermo paulo post Quintam Synodum, hoc est, post annum Christi 553., a nescio quibus hæreticis confictus fuit, ac postea in ejusdem Quintæ Synodi Actionem primam intrusus, quemadmodum etiam conficta ab hæreticis Vigilii Papæ Epistolæ in Septimam ipsius Synodi Actionem, uti a nobis demonstratum fuit Tom. 3. a pag. 225. De eodem Sermone Acclamatorio mentionem facit idem Sergius Patriarcha in literis ad Theodorum Pharanitanum Episcopum, & ad Georgium Arsam Paulianistam, uti apud Eminentissimum Baronium ann. 633. num. 53. Sanctus Maximus Abbas, & Martyr, Pyrrho proximo Sergii successori, Sanctum Sophronium Patriarcham Hierosolymitanum de mali origine accusanti, sic respondet. *Eum qui extra culpam est, graviter criminamini. Dic enim mihi, per virtutem ipsam oro, quum Sergius Constantinopolitanus Episcopus ad Theodorum Pharanitanum scripsit, misso etiam libello, quem esse dicit Mennæ sui Antecessoris scriptum ad Vigilium Pontificem Romanum, per Sergium Marcaronam Episcopum Arsuos, hortans eum, ut quid sentiret de una Operatione in eo libello unaque voluntate, aperiret, & rescripsit approbans ea; ubi tunc erat Sophronius? Aut quum Theodosiopolim ad Paulum Monoculum, & Severi sectatorem scripsit, misso etiam ad illum libello Mennæ, & Theodori Pharanitani cum sua approbatione? Aut ubi erat, quando ad Georgium, cognomento Arsam Paulianistam, scripsit, rogans, ut mitteret sibi auctoritates de una operatione, inseruissetque Epistolæ, facere etiam se his auctoritatibus unionem Ecclesiæ cum eis? Hanc autem Epistolam Beatus Johannes Papa Alexandrinus, (cognomento Eleemosynarius) manu ab Arsa abstulit. Unde quum vellet eum ob ipsam deponere, impeditus fuit tunc ab incurso a Persis facto. Ergo circa annum Christi sexcentimum decimum sextum, Sergius Patriarcha Constantinopolitanus, ac Theodorus Pharanitanus quæstionem de una Christi operatione movere cœperunt. Nam (uti S. Maximus asserit) eorum scripta Sanctus Johannes Eleemosynarius, Alexandrinus Patriarchar-*